



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Concilium Arelatense V. Svb Sapavdo Episcopo, Die III. Kalendas Ivlias
Celebratvm, anno Christi DLIV. Vigilii papae vltimo, Childeberti regis XLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

VICILIVS C. ARELATENSE V. IVSTINIANVS IMP.
PAPA. CHILDEBERTVS REX FR. 497

ANNO I
CHRISTI CONCILIVM ARELATENSE V.

554.
SVB SAPAVDO EPISCOPO,
DIE III. KALENDAS IVLIAS CELEBRATVM,
anno Christi DLIV. Vigilii papæ ultimo,
Childeberti regis XLIII.

TITVL CANONVM.

- I. *Vt oblate altaris ab episcopis prouincie ad formam Arelatensis ecclesiis offerantur.*
- II. *Vt monasteria ei subsint episcopo, in cuius territorio sita sunt.*
- III. *Abbati longius a monasterio, sine episcopi permissione, vagari non licet.*
- IV. *Vt presbyter diaconum vel subdiaconum deponere non pre-*
- v. *Vt monasteria puellarum sub cura sint episcoporum; & abbatis nihil liceat contra regulam.*
- VI. *Vt clericis facultates, quas ab episcopo in usum accipiunt, deteriorare non liceat.*
- VII. *Vt episcopus alienum clericum, sine episcopi sui epistola, non ordinet.*

PRÆFATIO.

HANC super omnia curam decet esse pontificis, ut de ecclesiabus Deo iuuante sibi commissis, tamquam de propria quam regit, cura solitudineque indesinenter inuigilet: vt frequentius aggregatis episcopis, statuta Canonum saepius relegendo, in eorum animis caritate interueniente commendent, vt quod statutum est irreprehensibiliter debeat custodiri; & si quid forsitan statuendum causa suggererit, vnanimiter obseruanda decernant. Itaque cum in Arelatense vrbe episcoporum fuisset Synodus aggregata pro necessariis rebus, rationabile esse credidimus, antiquis Canonibus non derogantes, pauca tamen pro eorum ordinatu, Deo adiutore, subiungere: quibus hoc roboris magis esse credidimus, quod a plurimis caritate interueniente consentientibus, prona voluntate firmatum est.

Concil. Tom. 12. Rrr

498 VIGILIVS PAPA. CONCILIVM IUSTINIANVS IMPERAT.
CHILDEBERTVS REX FRANC.

CANONES.

ANNO
CHRISTI
III.

I.

Vt oblatæ, quæ in sancto offeruntur altario, a comprouincialibus episcopis non aliter nisi ad formam Arelatensis offerantur ecclesiæ. Quod si aliter aliquis facere præsumperit, tamdiu sit a communione, vel a caritate fratrum seclusus, quamdiu ipsum cœtus synodalis receperit.

II.

Vt monasteria, vel monachorum disciplina, ad eum pertineant episcopum, in cuius sunt territorio constituta.

III.

Vt abbatibus longius a monasterio vagari sine episcopi sui permissione non liceat. Quod si fecerint, iuxta antiquos Canones ab episcopo suo regulariter corrigantur.

IV.

Vt presbyter diaconum vel subdiaconum de ordine deponere nescio episcopo suo non præsumat. Quod si fecerit, illi in officio vel communione recipiantur, & ille anno integro a communione priuatus, officium implere penitus non præsumat.

V.

Vt episcopi de puellarum monasteriis, quæ in sua ciuitate constituta sunt, curam gerant; nec abbatisæ eius monasterii aliquid liceat contra regulam facere.

VI.

Vt clericis non liceat facultates, quas ab episcopo in usu accipiunt, deteriorare. Quod si fecerint, si iunior fuerit, disciplina corrigatur: si vero senior, vt necator pauperum habeatur.

VII.

Vt episcopus alterius clericum in gradum , sine epistola episcopi sui , prouehere non præsumat . Quod si præsumperit , ille qui ordinatus fuerit , ab honore quem acceperit , remotus , quod ei commis- sum est agere non præsumat ; & is qui eum sciens ordinauerit , tribus mensibus communione priuetur .

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Sapaudus in Christi nomine episcopus ecclesiae Arelatensis , con- stitutionem nostram relegi & subscripsi . Not . sub die tertio Ka- lendas Iulias , anno XLIII . regni domni nostri Childeberti re- gis , indictione tertia .

Simplicius episcopus ecclesiae Saneiensis subscripsi .

In Christi nomine Antonius episcopus ecclesiae Auennicæ subscripsi .

In Christi nomine Hilarius episcopus ecclesiae Diniensis subscripsi .

Clementinus in Christi nomine episcopus ecclesiae Aptensis sub- scripsi .

Prætextatus in Christi nomine episcopus ecclesiae Cauellicæ sub- scripsi .

Eusebius in Dei nomine episcopus subscripsi .

Magnus in Christi nomine episcopus ecclesiae Cemelensis consti- tutioni subscripsi .

Auolus in Christi nomine episcopus ecclesiae Aquensis subscripsi .

In Christi nomine Expeſtatus episcopus ecclesiae Foroiuliensis sub- scripsi .

Matthæus in Christi nomine episcopus ecclesiae Arausicæ subscripsi .

In Christi nomine Cyminianus presbyter , missus a domno meo Deuterio episcopo , subscripsi .

Honoratus in Christi nomine presbyter , missus a domno meo Vel- leſio episcopo , subscripsi .

Benenatus in Christi nomine missus a domno meo Basilio episco- po , subscripsi .

Seuerus presbyter in Christi nomine ecclesiae Telonensis , missus a domno meo Palladio episcopo , subscripsi .

Quinidius in Christi nomine archidiaconus , missus a domno meo Theodosio episcopo , subscripsi .

Liberius in Christi nomine archidiaconus , missus a domno meo E- meterio episcopo , subscripsi .

Claudianus in Christi nomine diaconus , missus a domno meo Eme- terio episcopo , subscripsi .

Cyprianus in Christi nomine diaconus , missus a domno meo Auo- lo episcopo , subscripsi .

Concil. Tom. 12.

Rrr ij

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

ANNO
CHRISTI
554

¹ Concilium Arelatense V.] Synodi huius, quam nunc primum in lucem damus, Canonem III. ex collectione, opinor, aliqua profert Gratianus 18. qu. 3. *Monaeteria*. Integrum enim Synodum si nactus fuisset, aliorum etiam eius Canonum auctoritate usus esset, verutissimi auctoris exemplo, qui in collectione Diuisionis, & tertium eundem, & alios quoque Canones inseruit, I V. v. ac VI. De hac eadem Synodo vetus index episcoporum, qui Canones in Synodis ediderunt: *Canones Arelatenses firmauerunt episcopi XIX. Sapaudus Arelatensis, Simplicius, Hilarius, cum ceteris*. Nam huic episcopi subscribunt numero XIX. & in his illi ipsi quos nominatim designat.

² Anno XLIII. Childeberti.] Cedit hic annus, iuxta æram nostram, in annum Christi quem præfiximus. Nam si ad annum D XI. quo iniisse facimus Childebertum, XLIII. annos adiicias, exurgit annus DLIV. Sed cum mense Iunio eius anni non cohæret, quæ ex codice Lugdunensi annotata est, indictione III. sed II. cuius adhuc reliqui erant duo menses, priusquam III. inchoaretur. Quare tertia pro secunda posita hoc loco videtur, sicut in Concilio III. Aurelianensi, ut ante dictum est, indictione secunda pro prima. Alioqui non solum cum nostro, sed cum suo etiam calculo pugnat codex Lugdunensis. Etenim si anno Christi DXLIX. cum celebratum est Concilium V. Aurelianense, Octobri mense, ut idem codex habet, indictione erat X III. & Childeberti annus XXXVIII. sequitur ut Iunio mense anni DLIV. & Childeberti annus fuerit XLIII. & indictione II. non III.

³ Tertio Kal.] In manuscripto legi potius videtur XIII. Kalendas.

VITA,
EPISTOLÆ, ET DECRETA
PELAGII PAPÆ I.

Ex libro pontificali.

^a PELAGIVS natione Romanus, ex patre Ioanne Vicario, ^b sedet annos + vndecim, menses decem, dies octodecim. Et ^c dum non essent episcopi qui eum ordinarent, inuenti sunt duo episcopi, Ioannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & Andreas presbyter de Ostia; & ordinauerunt eum pontificem. Tunc enim non erant in clero, qui eum possent promouere. Et multitudo religiorum, sapientium & nobilium, subduxerant se a communione eius, dicentes, quia in morte Vigilii papæ se immiscerunt, ut tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narses & Pelagius papa, consilio inito, data litania a

^a Alii annos 10. menses 10. dies 18.
^b alii annos 6. tandem ei tribuunt.

Litaniarum & processionalium usus.